



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.11. Papa in Francia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

At Legati Regis Pipini apud Regem <sup>Sæcul. VIII.</sup>  
 Aistulphum vehementer instabant, ne <sup>A. C. 754.</sup>  
 Papam in Franciam profecturum prohi-  
 beret. Rei novitatem miratus Aistul-  
 phus Papam vocat interrogatque, an in  
 Franciam ire serio vellet. Papa inge-  
 nue fatente, hanc profectionem animo  
 constituisse, Rex admodum offensus, mi-  
 sit ex suis aliquos, qui eum secreto a pro-  
 posito abstraherent, sed tandem coactus  
 est consentire, atque Papa Ticino abiit  
 decimo quinto Nov. Indictione septima  
 eodem anno 753. Georgio Episcopo O-  
 stiensis, Wilcario Episcopo Nomentano,  
 Presbyteris quatuor, Diaconis tribus &  
 quibusdam aliis Ecclesiæ Romanæ Cle-  
 ricis eundem sequentibus. Postquam e  
 Ticino jam excessisset, cum sciret, sibi a  
 Rege insidias strui, ad Alpes, quæ Italiam  
 a Francia dividunt, pervenire, quantum  
 potuit, contendit, quas ubi tenuit, Gra-  
 tias Deo egit, quod sibi securitatem  
 præstitisset.

## §. XI.

*Papa in Francia.*

**I**ter suum strenue profectus Stephanus  
 Papa ad Monasterium S. Mauriti Val-  
 lesiorum pervenit, quo Regem Pipinum  
 etiam conventurum esse, præstitutum  
 fuerat; sed postquam Papa aliquamdiu  
 ibi expectasset, adsunt Fulradus Abbas

P 5. Pala-

Sæcul. VIII. Palatii Archicapellanus & Rotardus Dux  
 A. C. 754. a Rege missi, Papam rogantes, ut ulterius in Franciam progredere-  
 tur, eum-  
 que, & omnes viæ socios honorifice de-  
 ducere cœperunt. Regi Pipino Theo-  
 donisvillæ agenti referunt, Pontificem  
 Alpes superasse; quo nuncio lætissimus  
 misit filium suum primo genitum Caro-  
 lum duodennem, qui Papam usque Pon-  
 tigonem in Campania, ubi Rex quoque  
 adfuturus erat, comitaretur. Cum Pa-  
 pa non plus tertio lapide seu una Leuca  
 inde abesset, obvium se dedit Rex, atque  
 ad ejus conspectum ex equo descendens  
 cum Conjuge, filiis, & Optimatibus in  
 terram se demisit. Imo quasi vicem stra-  
 toris agens aliquamdiu juxta equum  
 Pontificis processit. Papa omnesque  
 comites in laudes Dei effusi elatis voci-  
 bus Hymnos & Psalmos cantabant usque  
 Pontigonem, quo in Festo Epiphaniæ sex-  
 to Januarii anno 754. perventum.

Primum quidem Papa Regem & Pro-  
 ceres donis cumulavit, at sequente die  
 ad Regem venit cum omnibus Clericis  
 suis sub cinere & cilicio, atque ad ejus-  
 dem pedes prostratus per Dei Miseri-  
 cordiam, perque Sanctorum Petri & Pauli  
 merita obtestabatur, ut se, populumque  
 Romanum a Longobardorum tyrannide  
 liberaret, nec prius e terra corpus leva-  
 vit, quam Pipinus & Proceres sibi dex-  
 tras

*Fredeg. cont.*

4. c. 119.

*Annal. Met.*

an. 753.

*Duch. tam.*

3. p. 276.

*Anast.*

tras porrexissent, quippe volebat, ut se ipse Rex humo attolleret, in pignus pollicitationis, Romanos ipsius potentia in libertatem assertum iri. Cum deinde Papa & Rex in Oratorio confedisent, illo preces repetente promisit Rex addito jurejurando, in omnibus se Pontificis suasionibus obsecuturum, & compulsurum hostes, ut Exarchatum Ravennatensem, Civitatesque Imperii restituerent. Quia vero summa hyems erat, Papam cum Sociis ad Monasterium S. Dionysii prope Parisios dimisit, & curam gessit, ut quam commodissime ibi habitaret. Interim missis ad Regem Longobardorum Legatis rogavit, ut ob Reverentiam Sanctorum Apostolorum Romam hostiliter invadere nollet, nec Romanos ad Superstitiones legibus eorum contrarias compelleret. Sed hac Legatione nihil effectum.

Sæcul. VIII.  
A. C. 754.

Anast. :

§. XII.

*Conventus Carisiacensis.*

Rex Pipinus Festo Paschali, quod hoc anno septingentesimo quinquagesimo quarto in diem decimum quartum Aprilis incidebat, Carisiaci ad Oesiam celebrato, convocavit Conventum omnium Optimatum Regni sui, atque expeditionem in Italiam ad opem ferendam Papæ, ibi præsentis, præstituit. Papa etiam in eodem

Anast.  
tom. 6. Conc.  
p. 1650.